Dissertatio physico-medica de febre. : Secundum Principia Dni Cartesii. Prælecta in conventu clarissimorum d.d. naturæ curiosorum singulis hebdomadis / Lutetiæ Parisiorum ; In ædibus nobiliss. De Montmor congregatorum. Primum Gallicè edita, nunc vero in usum [Philiatrōn] ; Latinitate donata.

Contributors

Habert de Montmor, Henri-Louis, approximately 1600-1679
Gaasbeeck, Abraham van, active 1655-1677
Sloane, Hans, Sir, 1660-1753
British Library
Medical Society of London

Publication/Creation

Lugd. Batav : Apud Abrahamum Gaasbeekium, 1678.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/shmwk2zk

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DE FEBRE ANON.
1678

FOLLINUS H. — FEBR. PETIC.
1622

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

DISSERTATIO ...

65252/A

XVIII 4

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE FEBRE.

Secundum Principia Dni Cartesii.

Prælecta in conventu Clarissimorum D. D. Naturæ Curiosorum singulis hebdomadis

Lutetiæ Parisiorum

In ædibus Nobiliss. DE MONTMOR congregatorum. Primum Gallicè edita, nunc vero in usum

ΦΙΛΙΑΤΡΩΝ

Latinitate donata.

Duplicate

LUGD. BATAV. 4ff

Apud ABRAHAMUM GAASBEEKIUM.

1678.

BRITISH MUSEUM
SALE DUPLICATE
1787

TYPOGRAPHUS
LECTORI
S. P. D.

Cum nuper Opuſculum hocce mihi in manus incideret, nec perlectum quibuſdam artis Machaoniæ peritis diſpliceret, ſtatim illud Latiali toga indutum luce publica donandum judicavi: quod ipſum tibi haud ingratum extitiſſe, ſi animadvertam, propediem alia, ejuſdem nec ignobilioris argumenti daturus ſum. Hoc interim fruens, belle vale ac conatibus noſtris fave.

SCALIGER

lib. 1. de plantis.

Ego sapientiæ ambitum, tanquam animi nostri Ærarium quoddam semper judicavi, in quod communia Commentationum nostrarum vectigalia inferenda censeo, sed proba; unde sibi suum quisque in usum sumat sine invidia atque simultate. Unum enim corpus sumus, unusque Spiritus hujus corporis, qui â Deo profectus pro communi excubet utilitate.

DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA DE FEBRE.

CUM febrile frigus impræsentiarum Dissertationis meæ objectum existat primariū, sedulò cavendum erit, ne quæ de ejus Natura asseram, explicationi reliquorum hujus Morbi accidentium, contrarientur. Quapropter cum de eo sententiam meam dare haud erubescam, de Febre ipsamet paucula quædam præfari cogor; ast cum illa consequens sit alicujus dyscrasiæ in corpore humano, nul-

latenus â proposito digrediar, si quasdā ex regulis ac legibus quibus ejus Oeconomia stat & conservatur, enarravero.

Certò & indubitatè constat, sanguinem in Corde rarefactum formamque Spiritus vitalis consequutum, ex eo cum vehementia quadam in Arterias, quibus mediantibus ad extrema corporis usque deferatur, prosiliendo exire; ex iis vero in venas capillares & successive majores, ac ultimo Cavam, quæ eum Cordi postliminio reaffundat, propelli. Indeque iterum Universam sanguinis Massam denuo circulationem inchoare, ac unius diei decursu aliquoties in

hunc

hunc circulum agi, jamdudum Harvei induſtria innotuit: hinc recte non nemo,

Nec mora, nec requies interdatur ulla fluendi:

Per plurima experimenta & irrefragabilia ratiocinia patet, alios quoque in corpore noſtro contineri humores, qui pari ratione, curſu regulari ac determinato feruntur; adeo ut pleræque illarum partium, quæ ſolidæ dicuntur, nec ſeſe immediate contingunt, infinitam pene multitudinem parvorum ſive ſenſibilium ſive inſenſibilium tubulorum, per quos particulæ fluidæ decurrant & moveantur, componant.

Arteriarum pulſus, qui

præcisè ex continuatis vicibus Cordis Motitationibus respondent, toties renovantur, quoties susceptio sanguine illarum repetitæ fiunt distensiones. Cum vero liquor iste constet quamplurimis parvitatis indefinitæ particulis, quarum hæ respectu illarum diversimode moventur, assiduo satis magna illarum quantitas, quâ corpus nutriatur, aut si eo in statu versetur, excrescat quoque, per Arteriarum poros propellitur.

Sanguinis particulæ dicto modo à reliquis separatæ, necessario omnium maxime subtiles & agitatæ sunt; quæ vero in Venas transeunt crassiores ac minus motæ; ast

Cor-

Cordis thalamos iteratò pertranſeuntes attenuantur & rareſiunt.

Univerſa idcirco ſanguinis Maſſa tandem in Spiritus converti poſſet, qui omnes ex Arteriis, per cæca partium ſpiracula uti priores, aufugientes, ſanguinem effætum ac inertem in vaſis relinquerent, niſi quædam Chyli portio cum ſanguine verſus Cor refluo illudque ſtatim ingreſſuro confunderetur, ex quo quadātenus reficiatur ac ad caloris & incendii ſuſceptionem minus aptus evadat.

Sanguis è corde propulſus, ac jugi celerique motu per omnia Arterioſi ac venoſi generis diverticula pro-

fluens, susceptum elaboratumq; in corde Calorem cæteris corporis partibus communicat; istius vero portionis quæ è bivio per Maximum Aortæ truncum sursum protruditur, subtiliores magisque vividæ particulæ per Arteriarum Carotidum poros in Cerebri gyros & anfractus sinuosos usque excurrunt, ubi â torpidioribus ac crassioribus separatæ, Spiritus constituunt animales, qui inde Nervos Musculosque irradiantes, duo admodum notabilia producunt effecta.

Quorum primum, quod inflatus hic potius Musculus quam oppositus (antagonista dicitur) adeoque in latitudi-

ne extenſus, longitudine vero abbreviatus, membrum cui inſeritur, adducat; inflatus vero & extenſus oppoſitus adductum membrum ſecum abducat, & in priſtinum locum reducat. Sic è dictis liquet, Membrorum motum immediatè â Spirituum animalium curſu dependere.

Alterum eorundem Spirituum per Nervos undulationem conſequitur; continuantes etenim agitationem ſuam, Nervorum filamenta, ſubſtantiam eorum medullarem componentia, â ſe mutuo levi cũ tenſione ſe juncta ſervant. Hoc ex ipſo, ſi eæ corporis partes, ubi filamentorũ ex-

trema desinunt, per objecta quædam moveantur externa, illa Actio facillime in Cerebrum usque defertur, unde quædam in mente resultant sensationes; hic autem status vigiliarum nomine venit.

E contra, si Spiritus illi, sive quod omnimode dissipati fuerint, sive quod nimia paucitate Cerebri Nervorum ac oblongatæ medullæ spinalis repletioni non sufficiant, eorum filamenta tunc flaccida sibique invicem quasi agglutinata, impressionem foris acceptam, Cerebro non amplius communicabunt; atque adeo sensus in nobis deficient. Hæc, autem constitutio somnus dicitur: qui

non

non abrumpetur priusquam Spiritus animales ea regenerentur copia, quâ dilatato Cerebro, Nervorumque orificiis reseratis, eos distendere valeant. Licet enim parva admodum Spirituum quantitas in Dædaleis Cerebri Mæandris oberret, eo non obstante, si corpus extrinsecus impressione satis forti, quæque idcirco ad Cerebrum deferetur, tangatur, aliquatenus tamen excitabimur. Exinde enim in mente orietur sensatio, quæ causa erit, quod maximâ parte Spirituum eò tendente, unde derivabatur Impressio, Arteriæ Nervique aperiantur, ac satis spatii ad divagandũ concedatur paucis

cis illis Spiritibus animalibus, qui secùs aliis usibus inservijssent, adeo ut jam membra moveri, corpusque ad actiones tempore Vigiliarum obiri solitas, disponi possit.

Hisce notatis, si quacunque de causa, portiuncula quædam alicujus corpore nostro contenti humoris, alicubi in eo stagnans ac quolibet modo corrupta, tandem, sanguini venoso, quo cum ad Cor profluat, admisceatur, (suppono eam non tam vegete & commode rarescere, ac sanguis ille qui Medicis laudabilis audit; sicuti ligna viridia difficilius incendium concipiunt quam quidem

sicca

ſicca) Cor parum omnino diſtendetur, ac Arteriæ paululum ſanguinis ſuſcipientes digitorum pulpas leviter ferient. Spiritus vero longe minori quantitate ac agitatione per corpus diſcurſantes, partium ſolito motui, quo ſuſtentantur & in quo earum calor radicatur naturalis, vix aut diminute ſaltem ſufficiunt: hinc illa frigoris ſenſatio, quæ in Febribus Horror rigorque dicitur, quique haud rarò comitatur punctionibus aſperis acribusve, prout materia corrupta & per Arterias propulſa, interiorem earum tunicam lambendo alluendoque varie afficiat: vel quædam ex particulis pu-

tre-

trefactis per poros elapsæ: Nervorum filamenta, illarum cursui obstantia, diversimode moveant.

Cum Spiritus animales, quamdiu dicto modo agitemur, tanta ut assolet copia, non generentur, illi qui mentis arbitrio, in hos illosve musculos determinantur, eo fine, ut Corpus in motus obeundos adigant, vel hac illave inpositione conservent, ex nimia paucitate pressioni valvularum contra poros, per quos elabi possent, impares existunt, (sic paucus aër per Siphonē in machinas quasdā immissus, valvulam ex adverso foraminis non premit, sed statim evadit) atque adeo è

Muscu-

Musculis fortuitò ac inordinatè in hos illosve influentes, membra in partes contrarias alternatim adducunt, hoc est eum producunt tremorem, qui febrile frigus comitari consuevit.

Licet interim omnis materia corrupta fortassis aliquot minutorum spatio Cordis lebetes transierit, nihilo secius horror, & rigor ille diutius persistent, cum ex lege circulationis eadem illa Materia etiamnum ita disposita, ut quemadmodum antè omnem rarefactionem respuat, in Cruoris sinum reduci possit; ast quo pacto lignum viride semel incensum vehementius ardet, ac diutius in

ardo-

ardore continuat quam siccum, pari ratione Materia illa febrilis Cordis diverticula aliquoties repetens, tandem ad summum quem admittit, rarefactionis gradum deducitur, ac solito concitatius & frequentius â Microcosmi principe expellitur: hinc in febribus ardor intolerabilis molestissimi frigoris successor evadit.

Pulsum ordinario frequentiorem ac majorem nullus mirabitur, qui sanguinem summopere rarefactum ejectionibus sub æquali temporis decursu solito sæpius iteratis in Arterias propelli consideret: uti nec summum calorem, cum sanguis ebul-

liens

liens Biolychnio egressus, ea celeritate, ut ipsa decurrendi circuitus peripheria ninihil adferat refrigerii, ad extrema membrorum amandetur.

Cum præsente hac dispositione copiosi Spiritus confertim in Cerebrum, inde vero in Nervos ac Musculos undulent, dormiendi impotentia, somnus rarus, tardus aut nullus, capitis dolores, molestissima omnium partiū sensibilitas, ac summa virium lucta, quæ multis in ægris observatur, producuntur.

Nec rarum est, Spiritus animales fortuito cursu per Cerebrum motitatos sua sponte ad certas quasdam in

eo

eo partes ferri, eo modo, ut antea sæpius ad alicujus objecti præsentiam moti determinatique fuêre; hinc ejus objecti quasi præsentis Ideam menti oblatam iri certo certius est; in eo autem ipso continuata Ægrotantium deliramenta consistere, è dictis claret.

Si Febris continuæ aut intermittentis accessione periodica, universi corporis membra diutius excrucientur, sanguinis particulæ summa mobilitate vigentes, partium staminibus non apponuntur, sed ex illis quasdam & abradentes, sub forma sudoris, insensibilisve perspirationis abeunt evaduntque in auras: cor-

corporis autem emaciationem inde, esse deducendam, nullus cum ratione dubitabit, qui ardente syrio,

Cum rubicunda Ceres medio
succiditur æstu.

Plantas hac de causa exarescere videat, quod succus è terra prolectus â summo calore maximè attenuatus per earum poros transpirando avolet.

Febrem eo, quo explicavi, modo generari, luce meridiana clarius apparet: etenim dum pus fit sive abscessu sive vulnere Febris ordinario observatur; eo autem facto vel extra corpus delato, illam cessare, Lippis ac tonsoribus percognitum est.

Licet

Licet interim Febrilis Materia, quæ tacitis incrementis ad maturitatem assurrexit, è foco locove generationis suæ profluere cesset, nec nova amplius sanguinis Massæ jam jam in Cor effundendæ convehatur; quæ sanguini mixta est paroxysmo tamdiu producendo sufficit, usquedum frequentibus circulationibus defæcata, ac laudabili sanguinis temperamento quadantenus congrua evaserit. sic mustum in vasis fermentando depuratur.

Paroxysmo dicta ratione finito, febris non reverteretur, nisi aut fermentum aut certa quædam dispositio remanserit eo in loco, ubi primitus

mitus materia corrupta fuit, propter quam alia iterum colligatur, quæ tandem constituto tempore ad febrilem incalescentiam maturescens sese in vasa effundat, cademque ut ante producat symptomata.

Ex his ergo concludendum restat, febrem esse Quartanam, si post triduum materia satis evecta è partium latebris in massam sanguinis vehatur: Tertianam, quæ post biduum: Continuam vero existere, si continuatis vicibus vitalis impuretur liquor: Continua quasi duplicata æstuabit, cum ab admixta materia sanguis ita corrumpatur, ut eo tempo-

ris,

ris, quod inter ultimum Materiæ febrilis è foco suo profluxum, & effusam collectæ denuo Impuritatis guttam intercedit, reliquias sequestratas deponendo, pristinæ crasi restitui nequeat: vel cum aliquot horarum intervallo tanta accumuletur copia, ut partibus continentibus molesta, eas ad sui excretionem stimulet.

Hoc illo ve posito, si quando Materia febrilis quantitate majori in Caloris focum deportetur intensius ex inde oriri incendium, patet, probaturque ex eo, quod cum ligno viridi comparata, aliquatenus sanguinis refectioni, priusquam vitali incendio

aptum

aptum evadat ſuccendiculum, inſervire debeat: etenim prima vice Cor pertranſiens leviuſculum cum rigore frigus, ſomni ac quietis deſiderium in nobis efficit; hincque paroxyſmi iterata acceſſio ſive febris duplicatio dijudicari ſolet;

Prælibata omnia facilius aſſenſum merebuntur, ſi iis ſedulo penſitatis & ad incudem redactis, media quibus Medici depellendæ febri incumbunt, conſideremus. Præſcibere autem aſſolent minorem cibi aſſumptionem, venæ ſectionem, purgationes varias; vel quod longe ratius obtinet, topicorum externorum eo loci,

quo Arteriæ minus sub cute delitescunt, applicationem.

Duobus prioribus Remediis corpus emaciatur, ac partium fibræ non adeo distentæ laxius sibi invicem incumbunt & applicantur: atque hæc ratio, quod macilentorum carnes Obesiorum longe molliores, sint; his & ille debetur effectus, quod partium tubuli minutissimi per quos humores moventur, illorum cursui magis obsequantur, ac sanguinis per Venam sectam diminutæ copiæ liberiorem motum concedant, propter quem circa partes in quibus morbi fomitem stagnans foverat,

verat, tam facile residere non possit. Temperatâ vero Inediâ causam febrilem debellamus, & per consequens ejus effectum Febrim superamus, cum antea alimentorum natura corruptioni huic amica esset.

Purgatione autem eæ sanguinis particulæ, propter quarum admixtionem impurus â laudabili differebat, præcipitantur: sicuti cujusdam liquoris guttulâ, maximam quandoque aquarum turbidarum copiam Chemici clarificant: unde sanguis ea ratione despumatus materiæ febrilis focum pertransiens, haud ita fa-

cile corrumpitur ; sicque paulatim omnia antiquo vigori restituuntur. Fortassis ipsa purgatione sanguis fluidior evadit absque ulteriori Temperamenti mutatione , quæ ipsius dispositio Febrium medelæ sufficit , cum jam omnia partium diverticula , ubi antea stagnans retinebatur , libere pervadat.

Medicamenta exterius applicata me judice effectum , cujus postrema mentio est , solummodo producent , enarratisque Remediis virium efficaciâ longissime cedent , cum multo remotius , idque vix sine felicioris sideris aspectu in

Maſſam agant ſanguineam: qua hypotheſi cum maxime ab eorum deflectam ſententia, qui Medicamentis plus virium; quam quibus pollent, adſcribunt: ita nec ab eorum Arti Medicæ inimicorum partibus ſtem, qui indifferenter pharmacis omnem denegant efficaciam, eâ exceptâ, quâ Morbum cum præſenti diverſum producere vel exiſtentem augere valeant; quique affirmant, eorum, qui ſine ope Medica in cenſum Libitinæ adſcribuntur, numerum, vix excedere calculos illorum, quos, quod medicum vocaverint, fata-

lem sibi horam maturasse judicant, ac tot sponte naturæ quam Medicaminum usu pristinæ sanitati restitui; allegantes insuper gentium aliquot septentrionalium exempla, quæ more praxi modernæ contrario, febricitantes solummodo vino utuntur, reliquo tempore abstemiæ degentes, quæque sæpius sua adversus febrim præsidia ex allio, pulvere nitrato contuso ac aquâ vitæ diluto, componunt.

Uti eorum opinioni non accedo, ita nec facile mihi persuadeo, usitata remedia, aliis, quam quas explicavi, facultatibus gaudere,

dere, quæ Febrem idcirco dicta ratione oppugnant, nec majori cum certitudine, quam quæ â quotidiana innotuit experientia, de eâ Triumphant.

F I N I S.